789



ARMANDO

EMINENTISSIMO S. R. E. CARDINALI,

DVCI DE RICHELIEV, PARI FRANCIAE, Ὑγιαίνειν.

TRIVMPHALES *lauros, victoriarum hieroglyphica, Apollini Medico veneranda consecrauit antiquitas* (Cardinalis Eminentissime) *quod is, arte medendi Deus celebratus, acerrimus fuerit propugnator sanitatis, quâ humani microcosmi functiones omnes citrà noxam eduntur, politicæq; monarchiarum diriguntur actiones, quibus saluis ac integris lauri, palmæ, coronæ, ac victoriæ quocùnque terrarum longè latéque propagantur; læsis verò ac prostratis, cùm naturalis corporis humani, tùm ciuilis reipublicæ status decidit, atque in communem vitæ ac imperij jacturam, morbi, hostésque grassantur, qui tandem superiores facti & animæ domicilium, & monarchæ thronum euertunt. Testabatur suprema tua Eminentia, quam quum postrema obsideret ægritudo, orbis Gallicus ceu febrili paroxysmo concussus jam contremiscebat, politica gubernaculi harmonia te præsente consona, te absente dissona propè dissoluebatur, Rex Iustissimus intimo mœrore conficiebatur, solósque Galliarum, Regiæq; Majestatis hostes fallax adumbrabat oblectatio. Sed θεῶν χεῖρες tuæ Celsitudini, prosperrimis regni Regísq; rebus, sanitatem restituerunt, faxint superi beatissimam, diuturnam, perpetuam. Id saluberrimum votum tuæ Altitudini, Monarchiæ incremento gloriâ exuberanti meus exoptat Genius; cujus è paterno sinu scaturientis impetu raptus, proximísque jatrogonistarum concertationibus exsuscitatus meas theses Cardinalitias* Eminentissimo Cardinali, *in rebus tùm publicis, tùm sanctioribus gerendis ac dirigendis vigilantissimo & fortissimo, tutò consecrandas, tuísq; emblematis vniuerso orbi formidandis armandas, atque hisce ornamentis, Lutetianis Apollinibus pergratis, primarias Medicinæ Scholas decorandas ac locupletandas esse fœlicioribus auspicijs auguratus sum. His námque præsidijs obtectus quæstionem partim medicam, partim politicam propugnando, talem meæ sorti jatricæ prosperitatem spero, qualem tuæ Eminentiæ sacratum hocce ὑγιείας pentagonum, noui tyronis tuis heroïcis virtutibus famulantis monumentum portendit.*

IOANNES CHARTERIVS.

QVÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS
MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM,
DIE IOVIS DECIMA SEPTIMA MARTII.

M. MAVRICIO DE MONSTROEIL, Doctore Medico, moderatore.

An Comatosus testari potest?

QVI rationis integræ particeps, αὐτόνομος; qui αὐτόνομος, sui iuris; qui sui iuris, testari potest. Vbi ratio integra, hinc intellectus res ad se delatas, instar iudicis, examinat; errorem, si quis est, imaginationis corrigit; vnum habet objectum, nempè verum; illinc voluntas, non modò libera, sed etiam spontanea, dissentit, consentit, abhorrétque à re propositâ, vel eam vltrò prosequitur. Non testantur belluæ, nec illis intellectus, nec voluntas competit; non impuberes, rationis sunt immaturæ; non amentes, deprauatæ.

FORTE quâlibet alteratione cerebri deprauatur ratio? caue credas! melancholici, hemicranici, penè omnes, qui malè habent capite, ingeniosi, alius temperamenti gradus ritè obeundis functionibus corporis, alius animæ proprius; nihilque necesse est, vnâ læsâ facultate, cæteras lædi, perturbationes interueniunt phrenitidi, inquit Hippocratis interpres, quòd modò phantasia, modò memoria, prout humor in hanc vel illam partem deerrat, afficiatur. Qui totas principes facultates in vniuersum cerebrum diffundunt, confundunt; anteriore imaginatio, posteriore memoria, mediâ parte ratio collocata est, in eam rem anterior mollis & humida, posterior firma & sicca, media moderata temperatáque, tres ventriculi distincti, & ordine positi.

SED Comatosus rationis integræ particeps, vel juuenis ille catalepticus, cuius expresè meminit Galenus, & intelligebat & recordabatur, nec est quod mireris! Somnolentia, proprium est symptoma imaginationis, non ratiocinationis, & imaginationis imminutæ, non abolitæ, non deprauatæ, posthac agitari potest phantasia, tranquillâ ratiocinatione, Theophilus malè imaginabatur, discurrebat benè. Sit somnus vinculum primi sensifici, non animus tamen non liber est, partes præcipuæ corporis non liberæ, inter dormiendum multi loquuntur, philosophantur, ambulant, spiritus vitalis ad partes superiores, animalis ad inferiores, vix aditu prohibetur, nedùm in somno semestri cercopithecorum, nedùm in torpore fœtûs, etiam otiante corde.

COMA vigil, medium quidem inter phrenitidem & lethargum, somnum & vigiliam, cùm ægri nec dormiunt, nec vigilant, vel partim dormiunt, partim vigilant, absentiâ vel præsentiâ extremorum; nascitur à permistione & veluti conflictu pituitosi biliosíque humoris, φρενιτληθαργος à dominio bilis, ληθαργοφρενῖτις pituitæ, τυφωμανία neutrius; καταφορὰ νωθρὴ à calore febrili natiuum extinguente, vt in Hermocrate. Somnolentum nec phrenitis, nec lethargus, propensio in somnum grauem vel leuem, & intercisum, ab humoribus frigidis, maximéque humidis; an à solâ interceptione caloris influentis? controuerti potest. Molle, in corpus nec ægrum nec sanum cadit, & in eos qui comazant, aut vinô madidi, opio vel tabaco sopiti sunt.

NVPER Comatosus, isque leuiter & intercisè somnolentus, ad interrogata sic appositè respondebat, vt eius iudicium ad pridiè obitus, attestantibus Medicis, sanum visum fuerit, reliquit testamentum, contestatum, valuit. Furiosi, si per id tempus fecerint, quo furor eorum intermissus, iure testati esse videntur, actum constante ratione, rectè actum est, ne dixerint Comatosos tardè agere, quid tùm? modò agant. Surdaster qui tardè audit, Balbus qui oscitanter loquitur, nec non alij quibus audiendi, & loquendi facilitas impeditur, testamentum facere possunt. Vndè constitutio Imperialis his subuenit, vt certis casibus, & modis, secundùm normam eius, possint testari, aliáque facere quæ eis permissa sunt.

Ergo Comatosus testari potest.

Proponebat Lutetiæ IOANNES CHARTERIVS Parisinus, Anno R. S. H. M. DC. XXXIII.